EXAMEN PUBLICUM

IN

GYMNASIO REGIO VARMIENSI

QUOD BRUNSBERGAE EST

DIEBUS XII. XIII. ET XIV. M. AUGUSTI
A. MDCCCXXXIII

INSTITUENDUM

RITE INDICIT

D. GIDEON GERLACH,

GYMNASII DIRECTOR.

BRUNSBERGAE,
TYPIS MUTTRAYANIS.
MDCCCXXXIII.

De loco quodam Martialis (V, 1.) dissertatio.

Martialis quum nullam occasionem praetermittat Domitianum summis laudibus ad coelum efferendi, tum singulis libris singula epigrammata praefigere solet, quibus ei carmina sua dedicat atque commendat, simulque saevissimo principi abjectum et servilem in modum adulatur. Quo ex genere est etiam quinti libri epigramma primum, cujus extremi versus hi sunt:

> Tu tantum accipias: ego te legisse putabo,
> Et tumidus Galla credulitate fruar.

Quem in locum quum incidissem nuper, neque satis vim verborum assequerer, interpretes Martialis consulendos duxi. Piget autem enarrare quantopere destitutus sim, quum ex iis editionibus quae prae manu erant (Raderianis duabus A. 1602 et 1629, eaque quam Collesso ad usum Delphini edidit) aliquid praesidii peterem: itaque, ne lectores istis refutandis morer, satius visum est, quid ipse de illis versibus opiner, paucis exponere. Quam quidem disputationem si quis in re admodum tenui, atque fortasse etiam inutili, versari dixerit: nae ego haud obstinate contra dicam, sed satis habebo exemplis virorum longe quam ego sum doctiorum me tutari, qui saepe in enodandas quaestiones neque ita multo uberiores, neque ad oblectationem lectorum magis accommodatas, tota eruditionis suae mole incubuerunt: praeterea ab aequis lectoribus petam, primum ut reputent, nullam qualemcunque operam prorsus deperiisse, quae in aliquo scriptorum veterum loco explicando posita sit, deinde ut genus hoc ipsum scriptionis considerent, cui exiguus modus lege praestitutus est, quodque ea de causa rerum majorum disceptationem vix capere videtur.

Primum igitur illud mihi haud dubium videtur, quin verba ea, de quibus nobis tota quaestio instituitur, ex eorum numero sint quae proverbii loco dicuntur, qualia apud omnes populos in finitimos jactari solent. Talium autem dictorum, sive per contumeliam sive per jocum dicuntur, duplex est genus. Nam pertinent aut ad insita quaedam atque propria alicujus gentis vitia, quae, si aperta atque manifesta sunt, efficiunt ut, qui iis laborant, reliquis gentibus vel contemtui vel deridiculo sint: — quo

in genere Abderitae et Boeoti stuporis, Carthaginienses perfidiae, Sybaritae atque Tarentini luxuriae nomine male audiebant, Etruscorum obesitas a Romanis ridebatur [1]), Umbri porci vocabantur [2]), — aut originem duxere ex re semel facta, vel quae facta esse perhibebatur, — veluti (ne nulla hujus quoque generis exempla afferam), Lemnia facinora in proverbium abiere [3]), et nota illa vox: *Sardi venales alius alio nequior*, ex longa venditione servorum, quos T. Gracchus ex Sardinia ceperat, orta atque ad posteros propagata est [4]), *Rhodiorum* denique *oraculum* in sermone Graecorum tritum atque usitatum erat, ex ficta narratione, qua ejus insulae homines, alioquin haudquaquam insulsi, fatuitatis per vanam cavillationem insimulabantur [5]).

Jam posteaquam de duabus talium dictorum originibus exposuimus, utram proverbio illi, quo Gallis credulitas exprobrabatur, assignemus, investigandum nobis erit. Principio autem illud manifestum est, si credulitas illa vitium aliquod proprium Gallicorum ingeniorum fuisset, idemque tam evidens, ut vel in proverbium cederet: quoniam tot scriptores res Gallicas literis mandaverunt, fieri non potuisse ut eorum nemo credulitatis istius aliquam mentionem fecerit. Atqui ejus rei nullum, quod quidem ego sciam, vestigium apparet. Si enim eum audimus, quo nemo nobis hac in causa prior esse debet, *summum auctorem Divum Julium* [6]), Galli insigni erant mobilitate atque levitate animi, ad subita consilia proni, at laboris insueti [7]), erant ostentatores [8]), temerarii, secundis rebus elati, ad levissima incommoda ferenda molles [9]), novarum rerum semper studiosi: ad summam iis potissimum vitiis laborabant, quae seri eorum nepotes, velùt hereditatis jure, per manus traditas accepisse videntur: sed, quum ex subita temeritate resipuerant, prudentes erant, atque adeo callidi [10]). — Ne-

---

1) Virgil. Ge. II, 193. Catull. 39.

2) Catull. 39. ex Scaligeri conjectura. Is. Vossius: pástus Umber.

3) Herodot. VI, 138.

4) Aurel. Victor de vir. ill. 57. — Aliam originem, eamque ex re vetustiore repetitam, ei voci tribuunt Plutarchus qu. Rom. 53. et Festus v. Sardi venales.

5) Narrationem ipsam, qui volet, ex Suida petat, v. *῾Ροδίων χρησμός*, vel ex Jo. Meursii Rhodo I. 16.

6) ut Tacitus loquitur Germ. 28.

7) Caes. B. G. 7, 30.

8) id. 7, 53. — *Φῦλον ἀλαζονικὸν καὶ φιλόκοσμον.* Strabo IV. p. 198. sub fin. — *Πολλὰ λέγοντες ἐν ὑπερβολαῖς, ἐπ' αὐξήσει ἑαυτῶν.* Diod. Sic. 5, 31. *τετραγῳδημένοι ὑπάρχουσιν.* id. ib.

9) Caes. B. G. 3, 19 et 8, 13. — Strabo IV. p. 197. extr. *ἀφόρητοι μὲν νικῶντες, ἐκπλαγεῖς δ' ἡττηθέντες.* — cf. Dio Cass. 39, 45. extr.

10) Caes. B. G. 8, S. et 8, 16. Quamquam hi duo loci non Caesaris, sed Hirtii sunt, non du-

que aliorum scriptorum judicia a Caesaris judicio discrepant. Diodorus Siculus acumen eorum atque ingenii celeritatem laudat [1]). Livius passim gentem vituperat, quod irae impotens sit [2]), quod minime ad morae taedium patiens [3]), quod, ubi primus irae impetus deferbuit, animo atque corpore relanguescant [4]): stultitiae vero atque credulitatis eos non insimulat. Nam in pugna Alliensi non fortunam modo, sed etiam rationem cum Gallis stetisse dicit [5]): tum vide quam caute, quam prudenter (quae sunt res credulitati oppositae), eodem Livio teste, ad moenia urbis accedant, urbemque ipsam tandem intrent. Atque Florus [6]) non dubitat ita de iis scribere: *Aquitani callidum genus: nemo tantum feroces dixerit Gallos, fraudibus agunt.*

Praeterea ipse Caesar saepissime de subdolo atque fraudulento eorum ingenio conqueritur [7]): et ne Brenni quidem tempore Gallos probitatis studiosiores fuisse, apparet ex adulteratis in Capitolio ponderibus. Ii autem homines, qui in alios fallacias intendunt, creduli esse non solent: neque enim consentaneum est, ut homines, qui sciant se fide esse indignos, nimium in aliena fide reponant.

Quod si quis ex Taciti verbis [8]), qui dicit *vana* Druidum *superstitione* motus in Gallia concitatos esse, et fortasse adeo ex ipsa ingenti illa auctoritate, qua Druides apud suos gaudebant, efficere vellet, Gallos ob eam ipsam superstitionem credulos Romanis videri potuisse: is meminisse deberet, Romanorum de talibus rebus longe aliud fuisse judicium atque nostrum est. Quamquam enim, quid Tacitus de Druidum artibus senserit, proclive dictu non est, quoniam ex hoc uno scriptoris loco conjecturam facere non satis tutum videtur: reliqui omnes honorifice de iis loquuntur.

---

bitavi eos uno tenore subjungere, quia id saltem ostendunt, quid Caesaris comites de Gallis judicaverint.

1) 5, 31.

2) 5, 37. cf. Strabo 4, p. 199. in. *τοῦτο δὲ τῶν θρυλλουμένων ἐστὶν, ὅτι πάντες Κελτοὶ φιλόνεικοί εἰσιν.*

3) Liv. 33, 36.

4) 38, 17. Idem 10, 28. dicit Gallorum corpora intolerantissima laboris atque aestus fluere: primaque eorum proelia plus quam virorum, postrema minus quam feminarum esse. Operae pretium est videre, quam putide Florus 2, 4. qui pulcherrima haec verba a Livio mutuatus, vel potius furatus est, de causis ejus rei philosophetur: scilicet ideo id usu venire putat, quod Galli corpora habeant nivibus suis similes. — Non minus inepte Romani credebant, septentrionales populos ideo esse ferociores, quod plus sanguinis in venis haberent, ejusque magis prodigi esse possent. v. Veget. I. 2.

5) 5, 38.

6) 3, 10.

7) e. g. 1, 16. sqq. 5, 36.

8) Hist. 4, 54.

Caesar [1]) doctrinam et disciplinam eorum tantum non admiratur: Diodorus Siculus amplissima philosophorum et theologorum appellatione eos prosequitur, eosque documento esse dicit, Martem vel apud ferocissimas gentes Musis cedere [2]): Divitiacus Aeduus, qui Druida fuit, quique Romae versatus et Ciceronis hospitio usus est, Q. Ciceroni, homini doctissimo, valde se probavit [3]). Druides quam docti auguriorum fuerint interpretes, Justinus [4]) testatur. Quae quidem res apud Romanos simili superstitione imbutos iis honori esse debebat: vel certe non erat quod Gallorum religiones prae suis despicerent.

Nequaquam vero dissimulandi mihi sunt duo Caesaris loci, quibus in Gallos illud credulitatis crimen, quod jamdudum ab iis propulsare cupio, conferri videtur. Eorum locorum prior est B. G. 4, 5. cujus haec sunt verba: *Caesar infirmitatem Gallorum veritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles, et novis plerumque rebus student, nihil his committendum putavit. Est autem hoc Gallicae consuetudinis, uti et viatores etiam invitos consistere cogant, et quod quisque eorum de quaque re audierit aut cognoverit, quaerant, et mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibusque ex regionibus veniant, quasque ibi res cognoverint, pronuntiare cogant. His rumoribus atque auditionibus permoti, de summis saepe rebus consilia ineunt, quorum eos ex vestigio poenitere necesse est, quum incertis rumoribus serviant, et plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant.* Cui quidem loco alterum continuo subjungam, ut in utroque una disputatione defungar: is autem est 7, 42: *Impellit alios avaritia, alios iracundia et temeritas, quae maxime illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeat pro re comperta.* — Locos integros descripsi, ne singula verba, sed totum sententiarum complexum ob lectorum oculos ponerem: quem si accuratius perpendimus, videmus utrumque locum ad eam, quam Caesar saepe reprehendit mobilitatem levitatemque animi pertinere, quae efficiebat, ut Galli otiosi in foro sedentes, percontarentur advenas, et dummodo tempus sermonibus fallerent vera atque ficta eodem loco haberent, tum ut repentina consilia inconsiderate caperent, levissimo quoque rumore permoti. Eane autem de re etiam Martialis loquitur? Nonne id potius dicit, se, si Imperatorem in suas nugas animum intenturum credat, valde ineptum et stupidum

---

1) B. G. 6, 14.

2) 5, 31. — Similiter Strabo IV. p. 197. eos dicit *τὴν φυσιολογίαν καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκεῖν.* Cicerone teste Divitiacus naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur, et partim auguriis, partim conjectura, quae essent futura dicebat.

3) de Divin. I, 41.

4) 24, 4.

futurum esse? nam dubium esse non potest, quin ea hoc loco sit vis vocabuli *credulitas*. At Caesar non stuporem, non stoliditatem Gallorum, sed levitatem, sed inconsultum atque parum firmum animum criminatur. Praeterea ne omnibus quidem Gallis communem fuisse pravum illud vanorum rumorum studium, idem nobis Caesar auctor est, qui 6, 20. tradit in plerisque Galliae civitatibus lege sanctum fuisse, si quis quid de republica rumore aut fama accepisset, ne eum rumorem in vulgus disseminaret, sed ad magistratus rem deferret: qua equidem lege nullam apud ullum populum novi prudentiorem.

Ut denique omnia quae adhuc disputavimus, quaeque sat multis scriptorum veterum locis, quorum numerum si operosiores esse vellemus facili negotio augere possemus, confirmavimus, paucis complectamur, non negamus sane fuisse inter Gallos homines credulos, id quod per se intelligitur: ne id quidem infitias imus, fieri potuisse ut Galli a longe astutioribus Romanis fraude nonnunquam circumvenirentur, quin etiam scimus id saepe factum esse [1]): illud vero contendimus, calliditate potius et fraudulentia, incredibilique animi inconstantia insignem fuisse gentem, quam credulitate: id negamus atque pernegamus, ea fuisse Gallos indole, ut prae ceteris barbaris creduli essent, crendulique κατ' ἐξοχὴν vocari possent.

Restat itaque ut alteram viam ingrediamur, atque videamus num dictum illud Martialis ex eorum numero sit, quae, ut supra disputavimus, non ad vitiosam aliquam universae gentis indolem pertinent, sed ex re quadam semel facta nasci solent. Et sane videor mihi talem ejus proverbii originem posse indicare. Quum enim Martialis verba accuratius perpenderem, recordatus sum forte fortuna duorum locorum, e quibus alterum apud Ovidium, alterum apud Macrobium me legere memineram, qui quum sibi invicem lucem afferrent, ne ad nostri quidem loci explanationem inutiles visi sunt. Ovidius enim haec dicit [2]):

Porrige et ancillae qua poenas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Quae verba perobscura forent, ni casu contingeret ut in manibus essent aliorum scriptorum loci, quibus id, quod Ovidius breviter significat potius quam eloquitur, accuratius narratur. De Macrobio postea: quoniam enim is e Plutarchi fontibus hausisse videtur, de hoc prius dicendum est. Qua in disputatione si longius a propo-

---

1) Sic mercatores Romani Gallos ad ebrietatem provocare, atque bene potos tam impudenter decipere solebant, ut minima vini quantitate (κεραμίῳ) egregium mancipium permutarent. Diod. Sic. 5, 26. extr.

2) A. A. II. 257.

sito aberrare videbor, lectores oro ne morae taedium nimis impatienter ferant, neve viae ejus, quam ineundam existimavero, socios se adjungere graventur.

Plutarchus igitur haec fere tradit [1]). Post cladem Alliensem debilitatis rebus Romanis, urbe incendio absumta, Aequi, Latini, Volscique, quod occasionem jugi excutiendi nactos se esse crederent, ante urbem ipsam castra posueruut. Ibi Latini, sive causam belli quaerentes, sive quod bona fide pacem amicitiamque his pignoribus traditis atque acceptis firmare volebant, virgines ingenuas a Romanis in matrimonium petunt. Senatus Romanus, dolum subesse ratus, veritusque ne obsidum potius quam uxorum loco virgines illae haberentur, dubius haesit: tandem Patres, ancillae cujusdam, cui Tutula (*Τουτόλα*) sive Philotis [2]) nomen erat, consilium amplexi, ancillarum agmen, cultu matronali ornatarum, in castra miserunt. Coena lauta exceptae, postquam procos vino sopitos viderunt, arma iis subducunt: Tutula autem in caprificum escendens face signum ex composito dedit, quo conspecto Romani eruptionem ex urbe fecerunt, foedamque hostium stragem ediderunt. Eam ob causam dies festus, quas *Nonas Caprotinas* [3]) vocabant, institutus esse perhibebatur: quo die cum alia ludicra a multitudine agebantur, tum ancillae, matronarum vestibus indutae, per plateas obvios conviciis lacessebant, et tandem extra urbem communi coena epulabantur, stipe ad ejus coenae sumtus conficiendos vicatim corrogata. [4]) — Eadem Plutarchus in Romuli quoque vita c. 29. narrat, addito etiam nomine imperatoris, cujus auspiciis Latini militaverint, Livii Postumii [5]). Utroque autem loco tradit, esse qui rem nomenque rei a Romulo, qui, dum ad *Capreae* paludem in coelum sublatus est, repetendam censeant: quae ipsi potior etiam sententia videtur, quamquam neminem credo intellecturum esse, quomodo ancillaris comissatio ad Romuli exitum pertinere potuerit.

---

1) Camill. 33.

2) Duplex nomen poeticum aliquod figmentum potius quam historici narrationem redolet. Alterum nomen ob id ipsum suspectum est, quod Graecam originem prae se fert. Infra tertium etiam audiemus. — Quod in ea Macrobii editione, quae Lugd. B. 1597 prodiit, ancillae nomen T u t e l a legitur, id ni forte operarum errori debetur, apertius etiam vanitatem narrationis prodit, ficto e re nata vocabulo, quia scilicet mulier illa numen quasi tutelare urbis exstitit. T u t u l a e autem nomen a t u t u l o, qui fortasse iis temporibus communis omnium matronarum ornatus erat, derivatum esse potest.

3) Plutarcho *Νόνναι Καπρατίναι*, quam vocem a caprifico, si diis placet, derivandam esse putat.

4) Eo die etiam munuscula ancillis donari solita esse, Ovidii locus, quem supra laudavi, docet.

5) Polyaenus 8, 30. stratagema illud muliebre similem in modum atque Plutarchus narrat, sed aliquanto succinctius, ac frigidiuscule ut solet. Latinorum imperatorem et ipse Postumium vocat (sic enim ex Casauboni emendatione legendum est pro *Ποϛούμης*), ancillam Philotin.

Macrobius, Sat. 1, 11. sub fin., quo loco egregia servorum servarumque facinora recenset, eadem fere narrat, ita tamen ut alios quoque auctores secutus esse, praeterea inepta quaedam de suo addidisse videatur. Multo enim superbius apud eum hostes non virginum tantum, sed et matrum familias deditionem postulant, qua in re antiquioris fabulae vestigia imprudenter a Macrobio deleta esse apparet [1]). Deinde falso haud dubio tradit liberas pariter ancillasque iis sacris operatas esse: quis enim sibi persuaderi patiatur, in die festo, qui per vernilem lasciviam transigebatur, matronarum Romanarum aliquas fuisse partes? [2]) Illud autem nequaquam rejiciendum videtur, quod totius belli ducem, Postumium Livium, *Fidenatium* vocat *dictatorem*. Nam etiamsi hoc de bello Livius nihil omnino dicit, etiamsi Fidenas ante bellum Gallicum bis captas atque adeo deletas esse tradit (4, 25. 34), unde jure quodam nostro colligere possemus, Fidenatibus ad rebellandum plus irarum quam virium superfuisse, neque potuisse penes civitatem tam debilitatam totius belli imperium esse: id tamen tenendum nobis est, quod Niebuhrius tam luculenter demonstravit, omnes rerum Romanarum scriptores, praesertim autem Livium, studiose dissimulare atque obtegere, ad quantam virium imbecillitatem post Brenni incursionem potentia Romanorum reciderit [3]).

---

1) Niebuhrius egregie docuit, plerasque fabulas, quibus antiquissima Romanorum historia scatet, repetitas esse ex aliis antiquioribus, sive graecis sive domesticis: inde fieri ut eaedem res gestae diversis hominibus diversisque temporibus attribuantur. Nemo non videt hanc, quae inter manus nobis est, narrationem ex Sabinarum raptu natam esse. Verecundius autem atque veri etiam similius vetustior fama tradiderat, virginibus tantum Sabinis Romanos manus intulisse, a nuptis abstinuisse. Quis enim credat, Latinos uxores adeo Romanorum poposcisse, et Romanos suarum uxorum deditionem simulasse! —

2) Neque est sane, quod his in rebus Macrobii auctoritati ideo multum tribuendum putes, quia ita narret, quasi suo etiamnum tempore mos ille obtinuerit. Stolidus videlicet grammaticus, qui totus in veterum libris vivit, neque quidquam pensi habet quod ab iis alienum est, quamquam Honorii atque Theodosii junioris temporibus vixit, nihilominus ita semper loquitur, quasi antiquus deorum cultus nunquam labefactatus sit. — Quamvis autem in universum Macrobii auctoritas, hac de causa, magni facienda non sit, nihilominus non omnino negamus, potuisse illud solemne Nonarum Caprotinarum ad ejus usque tempora permanere. Nam sacrificiis omnibus jamdudum imperatorum jussu sublatis, templis ad unum omnibus clausis, minores illos ritus, ludos diesque festos multitudo hominum pertinacissime retinuit, magistratibus ipsis conniventibus. (cf. Rüdiger de statu et condit. paganorum sub Impp. Christianis, Vratisl. 1825, passim et praesertim p. 77.)

3) Neque tamen ipse Livius negat iis temporibus Romanorum nomen non odio solum apud hostes, sed contemtu quoque apud socios laborasse (6, 2), traditque etiam Tiburtes oppugnationem urbis conatos (7, 12), atque Privernates in agrum Romanum incurrere ausos esse (7, 12. 16). — Florus, qui tam impudenter mentitur, ut Camillum omnia incendiorum ves-

Quippe dedecori sibi fore putabant, si faterentur adeo afflictam tum fuisse rempublicam, ut iterum *Roma minanti impar Fidenae* [1]) esset. Neque igitur foret cur Macrobii testimonium sperneremus, etiamsi nullius scriptoris auctoritas accederet: est autem auctor, isque sane locuples, Varro, qui tradit, post Gallorum ex urbe discessum, Fidenates et Ficulneates, (ignobilius etiam nomen) aliosque finitimos contra Romanos conjuravisse: eam esse originem Populifugiorum [2]). —

Sed quorsum iste omnia? inquiet aliquis: quid Plutarchi reliquorumque narrationes, sive vera quadam fama nituntur, sive fictae totae sunt, commune habent cum Ovidii versibus, quibus ad Martialis locum interpretandum te usurum esse pollicebaris? quoniam Ovidius de Gallis, hi autem de Fidenatibus aliisque civitatibus Latinis loquuntur. — Ad hanc quaestionem solvendam quae pertinent, indicare potius quam accurate exponere sufficiet, postquam Niebuhrius [3]) tam acute docuit, in iis narrationibus, quae populari fama, non literis, propagantur, saepissime accidere, ut vel temporum vel hominum, de quibus narratur, permutationes fiant. Si apud scriptores Byzantinos devicti Brenni gloria a Camillo in Manlium Capitolium migrare poterat; si iidem Byzantini credidere factiones circenses a Romulo originem trahere; si saeculo 12mo vulgus Italorum sibi persuaserat, Hannibalem summum Romanorum fuisse imperatorem [4]): mirumne tunc nobis illud videri potest, quod res a Latinis ipso paene belli Gallici tempore gesta, nonnullis saeculis post non Fidenatibus aliisque ignotis hostibus, sed Gallis ipsis, quorum fama semper etiam apud literarum rudes homines recens permanserat, tribuebatur? Eam autem non meram esse conjecturam, sed revera ea, quae de Latinorum contra urbem conjuratione modo exposuimus, etiam de Gallis narrata esse, libellus ille, qui Plutarcho assignatur, *περὶ παραλλήλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν* c. 30. confirmat.

---

tigia Gallici sanguinis inundatione delevisse dicat (1, 13), tamen contemtu urbis incensae Latinos rebellasse fatetur (1, 14).

1) Silii Italici sunt verba 15, 90.

2) Varro de L. L. 6, 3. ed. Spengel. Eodem loco etiam de Nonis Caprotinis Varro loquitur, sed ita ut nihil commune cum Populifugiis habeant, etsi Plutarchus, Romulo c. 29, utrumque nomen ad eundem diem festum pertinere dicit. — Niebuhrius, cui loci illius notitiam acceptam refero, Varronis et Macrobii narrationem ita exponit, ut rem ipsam in dubium vocasse non videatur (T. II. p. 285. sq. ed. 1 mae). Non satis autem constanter vir sagacissimus p. 214. dixerat, Fidenas ante bellum Gallicum tam crudeliter eversas esse, ut ex eo inde tempore oppidi nomen nusquam appareat, nisi quoties diruti pagi exemplum scriptores afferre velint: id quod ita demum verum est, si scriptores qui Augusti tempore floruerunt solos respexit, e. g. Cic. leg. agr. II. 35. Hor. Ep. I. 11, 7. Strabonem V. p. 230 in.

3) passim, praesertim autem T. II. p. 331. — Confer etiam quae nos scripsimus pag. 9. nota. 1.

4) v. Gesta Romanorum No. 43.

Ibi enim ex Aristidis Milesii libro I. de rebus Italicis traditur, Gallorum ducem Atepomarum, quum Romanos longa obsidione fessos videret, postulasse ut matres familias virginesque sibi traderentur: senatum vero, ancilla quadam, nomine Retana, suadente, servas dominarum habitu ad hostes misisse: denique Retanam per caprificum in moenia atque in urbem evasisse, nuntiumque de Gallis vino somnoque sepultis ad consules pertulisse, qui eruptione facta facilem de hostibus victoriam reportaverunt.

Eos omnes tot scriptorum, Ovidii, Plutarchi, Polyaeni, Macrobii et Aristidis Milesii locos [1]) quum inter se compono, eosdemque rursus cum Martialis versu comparo, non possum quin omnes ad unam eandemque rem pertinere, Martialisque locum ita demum recte intelligi posse censeam, si eum quoque ad veterem illam famam, quae in proverbium facile poterat abire, revocandum esse statuamus.

Finem tandem aliquando disputationi meae imponerem, nisi quid esset praeterea, quod non me contineo quin cum lectoribus communicem. Hunc autem, qui restat, locum quam potero citissime percurram. Horatii versum Sat. I, 2. *Gallis hanc, Philodemus ait*, plerique ita interpretantur, ut de Cybeles sacerdotibus poetam loqui dicant: neque quisquam negabit, posse ita stare sententiam. Praeter Cruequii scholiastem, qui nihil dicit, quod operae pretium sit accuratius exigere, unus Bentlejus ille dubius haesit utrum ad gentem Gallicam an ad Phryges illos locus pertineat: tandem pronuntiavit, rem tamdiu in ambiguo futuram, donec ipsius Philodemi epigramma inveniretur: nam tum denique ex ipso, quo poeta usus sit, vocabulo manifestum fore, utrum *Γάλλους* an *Γαλάτας* dicere voluerit [2]) — Itane vero? jam in manibus sunt Philodemi versus, quorum extremus est: *τὴν δ' ἄρα Γάλλος ἔχοι*: ideone continuo lis diremta est? Scio sane, post doctissimam Fr. Jacobsii de hoc epigrammate disputionem (v. Wolf's litterarische Analekten, T. I), neminem fore, qui spuriam ejus originem in dubitationem vocet: sed tamen etiamsi germanissimi illi versus forent, in medio relinquendam quaestionem existimarem. Secus enim statuo ac Bentlejus censuit, qui credidit *Γάλλους* apud Graecos gentis vocabulum non fuisse.

Nam ut missos faciam recentiores, qui idonei linguae graecae auctores nobis esse non possunt, quales sunt Ecclesiastici scriptores, Etymologicum magnum, horumque aequales alii, qui omnes illa nominis forma utuntur; sunt etiam apud melioris notae scriptores ejus appellationis vestigia. Strabo enim, quamquam plerumque *Κελ-*

---

1) Poteram etiam Ausonii versum addere (de feriis rom. v. 9. 10, in Eclogario): Festa Caprotinis memorabo celebria Nonis, Quum stola matronis demta teget famulas.

2) Heindorfius, diligentissimus Horatii interpres, cujus memoriam ut optimi atque humanissimi praeceptoris pie conservo, in hoc loco explicando non satis sibi constat. Namque etsi cum reliquis omnibus facit, Cybelesque Gallos huic loco unice convenire censet, nihilominus Martialis locum quendam (9, 33) evocat, qui manifesto ad Galliae incolas spectat.

2 *

τοὺς, nonnunquam etiam *Γαλάτας* habet, tamen p. 195 sub fin. scribit: *τὸ σύμπαν φῦλον, ὃ νῦν Γαλλικόν τε καὶ Γαλατικὸν καλοῦσι*: idemque Latinorum exemplum secutus p. 89 *Γαλλογραικία*. Similiter Herodianus gentem ille quidem ubique *Κέλτας* vocat, terram autem semper *Γαλλίαν* sive *τὰς Γαλλίας* [1]): quum ex contrario Caesaris metaphrastes populum *Γάλλους*, terram *Γαλατίαν* appellet. Quod Stephanus in Thesauri indice dicit, Plutarchum *Γάλλους* vocare, qui reliquis *Κέλτοι* sint, fateor me illud nomen nusquam apud eum legisse, nisi in spurio illo libello, quem supra laudavi, de Parallelis graecis et romanis.

Plures quidem non habeo quos proferam auctores, nisi ad infima tempora descendere velim: sed ne opus quidem esse videtur pluribus, quibus demonstrem, potuisse Philodemum altera illa nominis forma uti: praesertim si reputas, hominem Romae plurimum vixisse, indeque fieri potuisse, ut Latina appellatione assuesceret, deinde cum poeta nobis rem esse, quod genus, dummodo metro serviat, multo majora sibi licere arbitratur.

Praeterea minus nobis mirum esse debet, si poeta graecus latino potius quam patrio vocabulo usus est, quam equidem admirari soleo, quidni omnes Graeci, abjecto pravo suo loquendi usu, latinam potius nominis formam amplexi sint, quum praesertim, quidquid de rebus Gallicis sciebant, id omne a Romanis accepissent. Quid enim molestius est, quam nullum peculiare ejus gentis nomen apud Graecos reperiri? Nam quum plerique nullo discrimine *Κελτοὺς* et *Γαλάτας* dicant, antiquioribus tamen scriptoribus, velut Aristoteli, omnes occidentales populi *Κελτοὶ* sunt, eorumque usum Plutarchus imitatur qui Camill. 15 *τοὺς Γαλάτας τοῦ Κελτικοῦ γένους* esse dicit. Caesari contra B. G. I, 1 Celtae pars populi Gallici sunt, eumque sequuntur Strabo 4, 1 et Livius 5, 34. Denique, quasi parum confusa et perplexa sit ea loquendi consuetudo, apud Dionem Cassium *Κελτῶν* nomen constantissime solis Germanis tribuitur [2]).

Ne *Γαλατῶν* quidem vocabulum, quod sero receptum est [3]), omni reprehensione caret. Mitto quod ea vox etiam Gallograeciae incolas complectitur [4]): illud au-

---

1) Singulari numero III, 7, §. 1. 2 et passim: plurali e. g. III. 8 in.

